

iudicis, rem petitam et petendi causam contineat, sed terminetur, postulando, ut contra reum procedatur, prout de iure. Applicationem poenae specialis, non in libello, sed in die discussionis causae exposcat.

V. — Processus confectio committi potest alicui probo atque idoneo viro ecclesiastico, adstante Actuario.

VI. — Unicuique Curiae opus est Procuratore fiscali pro iustitiae et legis tutela.

VII. — Adeo necesse est ut in omnibus actis iudicialibus, Procurator fiscalis advocetur, alias irrita existimetur sententia.

VIII. — Quatenus pro intimationibus aut notificationibus, haud praesto sit opera apparitorum Curiae, suppletur exhibitione earumdem per qualificatam personam quae de facto certioret; sive eas transmittendo ope commendationis penes tabellariorum officium, illis in locis, in quibus hoc invaluit systema, exposcendo fidem exhibitionis, receptionis aut repudii.

IX. — De citatione, vel potius in ius vocatione, quae secundus actus iudicialis est, agendum postea; nunc tantum sermo est de eiusmodi executione, sine qua, citatio inutilis foret. Legitima vero citationis exsequendae forma illa est, qua, meliori quo fieri potest modo, probetur citationem ad partis notitiam reapse pervenisse. Proinde ubi praxis particularis aliud non postulet, personalis debet esse; possibile enim est, si aliter fiat, ut ad citati notitiam non deveniat, nec ad iudicandam contumaciam sufficiat. Attamen sustinetur executio facta domi solitae habitationis, penes domesticos vel, si nullus sit domi, penes vicinos, ubi praxis localis ita fert, vel citatus affectate latitet, vel aliter impedimentum praestet, quominus citatio contra eum executioni mandetur; et etiam per edictum fieri po-

terit, quando de non facili ac tuto accessu ad personam vel ad domum seu domesticos constet, vel si citatus lateat aut nesciatur ubi sit.

Cursor ita testari solet de facta citatione: Refero ego N. de N. cursor, die. . . . mensis. . . . anni. . . . me citasse N. de N. personaliter vel domi suae in solita eius habitatione, quam citationem recepit; (aut repudiavit, et in fidem etc.) subscribo cum N. et N. testibus.

N. de N. Cursor etc.... N. fui praesens pro teste, N. fui etiam praesens.

Per ipsum etiam iudicem citatio fieri potest, dummodo aliqua ratione haec citatio constet.

X. — Basis facti criminosi constitui potest per expositionem in processu habitam, authenticis roboratam informationibus, aut confessionibus extraiudicialibus, vel testium depositionibus, et quoad titulum transgressionis praecepti, constat per novam exhibitionem decreti et actus indictionis perfectorum, modis enunciatis art. VII et VIII.

XI. — Ad retinendam in specie culpabilitatem accusati, opus est probatione legali, quae talia continere debet elementa, ut veritatem evincat, aut saltem inducat moralem certitudinem, remoto in contrarium, modis, quovis rationabili dubio.

XII. — Hinc patet, quod sine probatione saltem semiplena, resultante ex processu informativo, vel inquisitione pro notitia Curiae, vel sine violatione praecepti, de quo agitur in art. VII Instructionis, minime licet declarare quempiam reum et citare, aut per libellum Promotoris inchoare iudicium.

XIII. — Personae quas examinare expediat, semper audientur separatim.

XIV. — Testes ad probationem aut defensionem quoties legalia obstacula haud obsistant, sub iuramento audiri debent, quod extendi potest, si opus sit, ad obligationem secreti.

XV. — Testium absentium aut in aliena Dioecesi morantium exposcitur examen in subsidium ab ecclesiastica loci auctoritate, eidem transmittendo prospectum facti; et auctoritas requisita petitioni respondet, servando praesentis instructionis normas.

XVI. — Quoties indicentur testes ob facta aut adiuncta essentialiter utilia merito causae, qui examini subiici nequeant, eo quod censeatur haud convenire ut vocentur, aut quia vocati abnuant; mentio eorundem fit in actibus, et curatur supplere eorum defectui per depositiones aliorum testium, qui de relato, aut alia ratione, noverint id quod exquiritur.

XVII. — Haec intelligenda sunt tam de testibus in processu iudiciali adhibitis, quam de illis qui in extra-iudiciali processu seu inquisitione examinantur. Duo tamen advertenda sunt: primum quod, si a testibus praeter iusiurandum de veritate dicenda, requiritur iusiurandum de secreto servando, hoc ultimo tantum tenentur usque ad canonicam depositionum publicationem, et non amplius; secundum quod in praevia formatione seu inquisitione testes examinantur, non citata parte contra quam informatio sit.

XVIII. — Quum collectum fuerit quidquid opus sit ad factum et accusati responsabilitatem constituendam, vocatur iste ad examen.

XIX. — In indictione, nisi prudentia id vetet, exponuntur ei per extensum accusationes adversus eum collatae, ut parari valeat ad respondendum.

XX. — Quando autem ob accusationum qualita-

tes, aut ob alia adiuncta prudens non sit in actu intimationis eas patefacere, in hac solum innuitur eundem ad examen vocari ut sese excuset in causa quae ipsum respicit uti accusatum.

XXI. — Si iudicio sistere se abnuat, iteratur indictio, in qua eidem praefigitur congruus peremptorius terminus, eique significatur, quod si adhuc obedire renuat, habebitur ut contumax; et pro tali in facto existimabitur, quatenus absque probato legitimo impedimento istam quoque posthaberet intimationem.

XXII. — In quatuor praecedentibus articulis de secundo actu iudiciali agitur seu de citatione rei, adeo necessaria iure naturali et humano, ut eius omissio omne iudicium reddat nullum. Haec citatio (quae generatim loquendo in scriptis fieri debet) convenit ut talis sit, cui citatus parere valeat, et praesertim ut sufficiens temporis spatium detur, intra quod comparitio possibilis sit; aliter citatus, etiam non comparens, contumax non evadit; ut, ubi agitur de delegato speciali, contineat oportet delegationis notitiam cum eius insertionem.

Modi, quibus quis in contumaciam incidere potest, sequentibus exprimuntur versiculis:

Non veniens, non restituens citiusque recedens,
Nil dicens, pignusque tenens iurareve nolens,
Obscureque loquens, isti sunt iure rebelles.

In casu contumaciae actor, sive procurator fiscalis, accusat reum de contumacia, et processu contumaciali, reo non amplius citato, causam continuari postulat.

XXIII. — Si compareat, auditur in examine; et quatenus inductiones faciat alicuius momenti, debent istae quantum fieri potest exhauriri.

XXIV. — Circa examen rei, sequentia advertenda sunt: primo quod interrogatoria subtiliter et singillatim concipienda sunt circa quodlibet iudicium, incipiendo a generalissimis et descendendo gradatim ad particularia atque graviora in causa. Secundo: cavendum est a quibusdam interrogandi formulis, in progressu examinis, brevitatis causa adhiberi solitis, prout sunt sequentes: ad opportunam domini... interrogationem, vel ad aliam interrogationem, dixit etc., non extenso in scriptis ipso interrogatorio. Tertio: in singulis responsis iudex curare debet ne mens rei maneat ambigua vel aequivoca, in admittendis vel respuendis factis; sed exigat oportet responsa categorica, per verba absolute probata, affirmative vel negative. Postremo: cum examen ad exitum perductum sit, vel interrumpatur, quia ex. gr. horam elabi contigerit, aliisve de causis, curabit ut reus ipse subscribat; deinde subscribent iudex et cancellarius.

XXV. — Proceditur inde ad contestationem facti criminosi et conclusionum habitatum ad retinendum accusatum criminis lapsumque in relativas poenas canonicas.

XXVI. — Ad hoc coram accusato legendae sunt testium depositiones et conclusiones ex illis deductae; nomina autem testium, non prodantur nisi publicato processu: i. e., defensoris inspectioni submisso.

Cum accusatus tali modo habeat plenam cognitionem eius quod in actis extat contra se, praeterquam quod respondere potest, iure se defendendi per se ipsum etiam uti valet.

XXVII. — Potest quoque, si id expetat, obtinere praefixionem termini ad exhibendam defensionem, cum memoria in scriptis, praecipue quando ob dispositionem

Art. xxiii Instruct. nequiverit paratus esse ad responsa pro sua excusatione.

XXVIII. — Quo hic dicitur de termini praefixione ad exhibendam defensionem, locum habet in processu ex officio instructo. Si vero agatur de iudicio quod iudex aggreditur in sequelam petitionis, per privatam personam sibi exhibitae, seu ad instantiam partis, quamquam summario procedatur, non omittantur oportet quatuor illi termini, nempe; 1^{us} ad articulum; 2^{us} ad dicendum contra articulos; 3^{us} ad producendum omnia; 4^{us} ad dicendum contra producta. In omnibus congruum tempus, arbitrio iudicis, indulgenter concedatur, ita tamen ut, quantum fieri potest, materia dilationum amputetur, et brevior lis efficiatur.

XXIX. — Expleto processu, actorum instructor restrictum conficit essentialium conclusionum eiusdem.

Confectum summarium, redactor iudici tradit, qui illud Procuratori fiscali quamprimum transmittet, et ad istius instantiam diem pro causa in Curia proponenda ipse iudex designat.

XXX. — In die qua causa proponitur, est in facultate accusati faciendi se repraesentare et defendere ab alio sacerdote aut laico patrocinatore antea approbato ab Ordinario.

XXXI. — Reus ipse comparere non tenetur, nisi per seipsum se defendat. Defensor qui, ut in praesenti articulo praescribitur, clericus sit expedit, praeter iuramentum muneris sui recte obeundi et, sicut in art. 33 statuitur, secreti servandi, quatenus Ordinario id expedire videatur, ita se gerere debet, ut quae ipse allegaverit, potius quam defensio rei non sint offensionem Ecclesiae, vel iudicis, aut aliud quid impertinens contineant. Si clericus non invenitur idoneus, et ideo

laicus adhibendus sit, non admittatur nisi catholicus practicus et timoratae conscientiae.

XXXII. — Quatenus praeventus constituere defensorem renuat, nisi per seipsum se defendere velit, Ordinarius consulit constituendo aliquem ex officio.

XXXIII. — Defensor caute notitiam haurit processus et restricti in cancellaria, ut paratus sit ad defensionem peragendam, quae ante propositionem causae exhiberi potest in scriptis. Ipse quoque subiicitur oneri secreti iurati, quatenus Ordinario videatur indolem causae id expostulare.

XXXIV. — Transmittitur dein Procuratori fiscali processus et restrictus, ut munere suo *ex officio* fungatur: uterque Ordinario traditur, qui plena causae cognitione adepta, diem constituit, in qua disceptanda et resolvenda sit, curans ut accusatus certior de hoc fiat.

XXV. — Die constituta, proponitur causa coram Vicario Generali, praesentibus Procuratore fiscali, defensore et Cancellario.

XXXVI. — Post votum Procuratoris fisci et defensionis deductiones, profertur sententia, dictando partem dispositivam Cancellario, cum explicita mentione, in casu damnationis, canonicae sanctionis, accusato applicatae.

XXXVII. — Sententia indicitur praevento, qui appellationem interponere potest ad auctoritatem ecclesiasticam superiorem.

XXXVIII. — Circa sententiam, de qua in tribus praecedentibus articulis agitur, vulgatum est Canonistarum axioma, quod iudex sententiam proferre et iudicare debet secundum acta et probata, non autem iuxta suam scientiam et conscientiam. Solum igitur

contra iuridicas probationes sententiam dicere poterit, quando informationes extraiudiciales *inquisitione* pro notitia Curiae cribratae, id ponderis habeant et ita vallatae sint, ut eveniente appellatione, ipse iudex *ad quem* eas necessario in pretio habere possit et debeat; sin minus, secundum acta et probata, etiam contra privatam scientiam et conscientiam potest sententiam ferre, vel illi potius erit alium deputare qui in causa iudicet, si ipse talem deputationem facere potest, vel illam a superiore competente postulare, si non licet.

Quando ad sententiam exsequenda, vel ad contumaciam frangendam, liceat iudici spirituali censurarum gladio in delinquentem uti, docet Conc. Trid. Sess. 25 de Reform. c. 3.

XXXIX. — Pro appellatione standum est privilegiis Americae concessis et normae statutae a Constitutione *Ad militantes* s. m. Bened. XIV 30 Martii 1742 alioque emanato a Sacra Cong. C., decreto 18 Decembris 1835, et litterae circulari die 1 Augusti 1851, (Appendix n. 2).

XL. — Comparitio pro appellatione facienda est infra terminum decem dierum a notificatione sententiae, quo termino inutiliter elapso, sententia ipsa in executionis statu reperitur.

XLI. — Interposita appellatione infra decem dies, Curia absque mora remittit ad auctoritatem ecclesiasticam superiorem, apud quam appellatio facta est, omnes actus causae originales id est processum, restrictum, defensiones et sententias.

XLII. — Auctoritas ecclesiastica superior, capta cognitione actus appellationis, intimare facit appellanti, ut infra terminum viginti dierum defensorem

constituat, qui approbari debet ab eadem superiori auctoritate.

XLIII. — Decurso dicto termino peremptorio absque effectu, censetur appellansem nuntium misisse appellationis beneficio, et haec consequenter perempta dictatur a superiori auctoritate.

XLIV. — Quum appellatio producitur a sententia alicuius Curiae Episcopalis ad Metropolitanam, Archiepiscopus pro cognitione et decisione causae, sequitur normam procedendi in hac instructione traditam.

XLV. — Si a iudicio Curiae Metropolitanae primae instantiae ad aliam Curiam appellandum sit, appellatio, ex speciali concessione S. Sedis (ut etiam in Instructione S. Cong. Conc. pro causis matrim. § 26 determinatum est) fiet ad Metropolitanum viciniorem.

XLVI. — Pro causis criminalibus ad S. C. EE. et RR. in gradu appellationis deferendis, eadem S. C. decrevit sub die 18 Dec. 1835, quod in decreto supracitato legitur.

XLVII. — Si contingat quod clericus, non obstante fori privilegio, ob crimina commissa subiiciatur processui et iudicio laicae potestatis, Ordinarius in hoc casu, summariam sumit criminosi facti cognitionem atque perpendit an ipsum, ad tradita per sacros canones, locum faciat infamiae, irregularitati, aut aliae ecclesiasticae sanctioni.

§ 1. — Donec iudicium pendeat, aut accusatus detentus sit, prudens est quod Ordinarius sese limitet ad media provisoria.

§ 2. — Expleto tamen iudicio, et libero reddito accusato, Curia iuxta exitum informationum superius assumptarum, procedit ad tramites dispositionum praesentis instructionis. (Append. n. 1).

SECTIO II.

DE CAUSIS MATRIMONIALIBUS

De effectibus matrimonii mere civilibus potestas civilis iudicat: ad Ecclesiam autem spectat iudicium de validitate ipsius matrimonii, et obligationibus ex eodem derivantibus. Ut vero in causis tanti momenti ea sedulitate, quam rei gravitas postulat, rectoque ordine procedatur, Concilium provinciale Antequerense statuit, ut ad tenorem tum Constitutionis Benedicti XIV *Dei miseratione* tum Instructionis editae a S. C. Concilii die 22 Augusti 1840. (Append. n. 3 et n. 4). Pro confectione processus in causis matrimonialibus, sequentes serventur praescriptiones:

I. — Processus conficiendus est, sub poena nullitatis omnium actorum.

II. — Causarum matrimonialium cognitio Episcoporum tantum iurisdictioni reservatur, seclusis quibusvis iudicibus inferioribus.

III. — Porrecta ab aliquo ex coniugibus instantia in scriptis, super nullitate matrimonii, Episcopus ipse vel iudex ab eo delegatus, defensorem matrimonii citari mandabit, quatenus in Curia Episcopali existat; sin minus, idoneum virum deputabit, qualitatibus praestantem in Const. Synod. Benedicti XIV requisitis. Defensor praefixa die iuramentum praestabit, et citandus est ad quaelibet acta, ne vitio nullitatis ipsa tangebant; ipsi acta processus etiam nondum publicati,